

mitteret, ultro se obtulit, dicens: ecce ego, mitte me. Ieremias autem mittitur, et tamen ne mitti debeat humiliter reluctatur, dicens: A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. En ab utrisque exterius diversa vox prodiit, sed non a diverso fonte dilectionis emanavit. Duo quippe sunt praecepta caritatis, Dei videlicet amor et proximi. Per activam igitur vitam prodesse proximis cupiens Isaias officium praedicationis appetit: per contemplativam vero Ieremias amori conditoris sedulo inhaerere desiderans, ne mitti ab praedicandum debeat contradicit. Quod ergo laudabiliter alter appetit, hoc laudabiliter alter expavit. Iste ne tacitae contemplationis lucra loquendo perderet, ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum, quia et is, qui recusavit, plene non restitit; et is qui mitti voluit, ante per altaris calculum se purgatum vidi: ne aut non purgatus adire quisque sacra ministeria audeat, aut quem superna gratia elegit, sub humilitatis specie superbe contradicat. Quia igitur valde difficile est purgatum se quemlibet posse cognoscere, praedicationis officium tutius declinatur: nec tamen declinari, ut diximus, pertinaciter debet, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur. Quod Moyses utrumque miro opere explevit, qui praeesse tantae multitudini et noluit et obedivit. Superbus enim fortasse esset, si ducatum plebis innumerae sine trepidatione susciperet: et rursum superbus existeret, si auctoris imperio obedire recusaret. Utrobique ergo humilis, utrobique subjectus, et praeesse populis semet ipsum metiendo noluit, et tamen de imperantis viribus prae sumendo consensit. Hinc ergo, hinc quique praecepites colligant, cum quanta culpa ex appetitu proprio ceteris prae ferr non metuunt, si sancti viri plebium ducatum suscipere Deo etiam jubente timuerunt. Moyses suadente Domine trepidat: et infirmus quisque ut honoris onus percipiat anhelat; et qui ad casum valde urgetur ex propriis, humerum libenter